



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reverendi Dom. D.|| Leonardi || Rvbeni SS. Theolo-||giae
Licentiati Abbatis || Ordinis D. Benedicti Mo-||nasterij
Sanctorum Apostolorum Petri & || Pauli Abdinckouensis,
in ciuitate || ...**

Ruben, Leonhard

Padibornae, 600 [i.e. 1600]

VD16 R 3400

Cap. XXIII. Falsos prophetas similes esse draconibus, fluctibus feri maris,
laqueis, & leonibus.

[urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1)

CAPVT XXIII.

FALSOS PROPHE-
TAS
similes esse draconibus, fluctibus
feri maris, laqueis &
leonibus.

PRIMUM hinc est, quod sint draconibus
similes. Vt verò omittam ea quæ hi-
storici varij commemorant, persequar ea
quorum sacræ literæ meminerunt. Ac
primò quidem Draco serpentinum est ge-
nus. Secundò arte magica in eos Exod. 7.
12. & 15. conuersæ sunt virgæ magorum
Pharaonis, vti omnis directio falsorum
prophetarum à nobis olim accepta tan-
dem in dracones & serpentes venenosos
còuertitur: quoad virga & directio Aaro-
nis veri sacerdotis, omnem eorum vim &
potestatem deuoret. Tertiò rufi sunt, A-
poc. 12. 3. ob multitudinem sanguinis in-
nocentis effusi, de quo cap. 5. & 20. egimus.
Quartò absorbendi vim habet Draco.
Hinc Ierem. 51. 34. *Comedit me, deuorauit
me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit
me quasi vas inane: absorbit me quasi draco,
repleuit ventrem suum teneitudine mea, &
eiecit*

1. Draco

nibus sūt

similes in

12. rebus

1. serpen-

tinum est

genus

2. Virgæ

in eos con-

uertun-

tur.

3. rufi

sunt.

4. absor-

bendi vim

habent.

eiecit me. De falsorum prophetarum vocacitate satis capite 1. & 8. diximus.

5. *Aguas
maris cō
turbant.*

Quintò aquas maris conturbant, sicut & regi Aegypti, Ezech. cap. 32. ver. 2. dicitur. *Fili hominis assume lamentum super Pharaonem regem Aegypti, & dices ad eum: Leoni Gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina eorum.* Similia penè habet capite 20. v. 3. vide quæ diximus de falsis prophetis capite 7. quomodo perturbent aquas limpidissimas.

6. *Sitibū
di sunt.*

Sextò sitibundi admodum sunt, vnde cū aqua illis deest, trahunt ventum quò se refrigerent: vel sugunt elephantum sanguinè. Hinc Ieremias 14. 6. *Traxerunt, inquit, ventum quasi dracones.* Quando scilicet Ephes. 4. 14. *circumferuntur omni vento doctrina: quando conturbant domum Ecclesie Catholicae.* Qui enim, vt est Prouer. cap. 11. vers. 29. *conturbat domum suam, possidebit ventos.* Et cap. 10. 4. *Qui nititur mendacijs, pascit ventos.* Falsos prophetas mendaces esse, capite 19. probauimus. Sunt etiam arundines vento agitatae: & ex his qui Oseæ cap. 8. 7. *ventum seminant, concionando scilicet, & turbinem metunt.*

Septimò

CAPVT XXIII 351

Septimò fel habet venenosum, & linguam similiter. Hinc Deuteron. cap. 32. 33. *fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Examina hæc ad caput 5. & 19. & 20.

Octauò propter singularem plantum, quem describens Michæas cap. 1. 8. *Faciam plantum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Dracones siquidem, vt D. Hieronymus ex Phisicis auctoribus refert, cum ab elephantis vincuntur, terribili sibilo personare feruntur: sic pseudo-propheta & bestia à Deo & angelis superati, in stagno ignis & sulphuris Apoc. 19. 10. cruciabuntur die ac noctè in secula seculorum: quando vno die venient plagæ eorum Apoc. 18. 8. mors, luctus, & fames, & igne comburentur.

Nonò ob singularem flatum, qui adeò vehemens est, vt faciat intumescere, testibus historicis, mare. Hinc 4. Esdræ 15. 20. *Exient nationes Draconum Arabum in curribus multis, & sicut flatu eorum numerus fertur super terrã.* Sic immundum exhalant halitum aut spiritum. Ita D. Iohannes Apoc. 16. 13. inquit. *Vidi de ore draconis, & de ore bestie, & de ore pseudo prophete exire spiritus tres immundos in modum ranarum.*

Habea

7. *felis sunt venenosa.*

8. *Plantum faciunt.*

9. *Eorum flatu.*

10. Perse-
quitur
mulierē
& semen
illius.

Habebunt enim potestatem mittendi spi-
ritus malos quò volunt, vt magi faciunt.
De ranis vero infra capite 25. dicemus.
Constat & Dæmonem spiritum immun-
dū loqui in ore omnium falso ru prophe-
tharum, vt ostendimus cap. 1. ~~23.~~ & 3. ex 3.
Regum 22. Hinc etiam fit, vt aliæ bestia
loquantur vt draco, vt est Apoc. 13. 11. qui-
bus & potestatem suam communicauit v. 2.
Decimò, draco præcipitatus cōmisso præ-
lio cum Michaelē Archāgelo Apoc. 12. 13.
*persequitur mulierem, cum reliquis de semine
eius, qui custodiunt mandata Dei, vers. 17.
committis praelium:* Sic pseudoprophete cū
Ecclesia & sanctis eius bellum faciunt. Da-
nielis 7. 21. quoad Christus, qui Psalm. 73.
13. 14. contribulat & confringit, & Psalm. 90.
13. conculcat caput draconis Isai. cap. 51. 9.
percutiat superbum, & vulneret draconem.

11. Certa
loca possi-
dent.

Vndecimò nota, quæ loca maximè in scri-
pturis possideant, vt plurimùm enim præ-
alijs locis dicuntur repleturi Babylonem,
vti enim falsi prophetae agunt omnia con-
fusè: & linguis mutuis & contrarijs inge-
nijs & studijs inter se dimicant, vt pluri-
mùm habitationē draconum constituunt;
indies vergentes in peius & Iob. cap. 10. 22.
tendentes ad terram miseria: & tenebrarum;

ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Duodecimò, draco in cauda potentissimus est: ita vt eum stringendo, enecet etiã maiores bestias, vti elephantes, ita tamen vt sub illis simul intereat: *Stringit enim*, vt inquit Iob. 40. 12. de Behemoth, *caudam suam quasi cedrum*: sic falsi prophetæ sub finem dominij sui, multos etiam egregios peruertunt viros & secum trahunt. Hinc Apoc. 12. 4. *Cauda eius traherat tertiam partem stellarum celi, & misit eos in terram.* Quod explicans D. Augustinus tom. 9. hom. 9. in Apocalyp. *Cauda, inquit, propheta iniqui sunt, id est, heretici, qui stellas celi per iteratum baptismã adhaerentes sibi deiciunt in terram. Ipsi sunt sub pedibus mulieris. Multi, homines illos esse aestimant, quos sibi consentientes diabolus fecit sodales* (alludens ad id 4. Esd. 15. 31. vbi dracones consperare dicuntur) *multi, angelos qui cum illo quando cecidit precipitati sunt.* Secundò comparantur fluctibus feri maris, vnde Iudæ 12. *Fluctus, inquit, feri maris despumantes suas confusiones: Confusi enim sunt, vt est Isaia 45. 16. & erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum.* De quorum errore diximus cap. 9. Hi similes impio Antiocho;

12. in
cauda po
tentissimã
sunt.

2. sunt
fluctus
maris.

qui 2. Mach. 9. 8. fluctibus maris videbatur
imperare super humanum modum superbia
repletus. Sunt enim, Iac. 1. 6. fluctus maris,
qui omni vento circumferuntur, vt diximus
præcedenti membro, cùm de draconibus
egimus.

3. sunt
laquei.

Tertiò comparantur laqueis. Hinc
Osee. cap. 9. 7. Scitote Israel stultum pro-
phetam, insanum virum spiritualem, propter
multitudinem iniquitatis tue & multitudo
amentia, speculator Ephraim cum Deo meo:
propheta laqueus ruinae factus est super omnes
vias eius, insania in domo Dei eius. Hoc est,
cùm esset in domo suorum idolorum, ef-
ficiebat vt infelix populus insaniret, &
perditè ferretur in cultum idolorum, dum
verbis & exemplo ad hanc impietatē popu-
lum excitat: sic veri speculatores & pro-
phetæ Ecclesiæ Catholicæ cum Deo agunt,
& partes eius vbiq; tuentur ad imitationē
Noe, qui Genes. 6. 9. fuit vir iustus atq; per-
fectus in generationibus suis, atq; cum Deo
ambulauit. Iam falsi prophetæ ad laqueum
& ruinam deducunt simplices Christia-
nos, idq; faciunt eò magis, quo maiori ca-
piuntur amentia & insania. Varios autem
laqueos ponunt, ac primum quidem men-
dacijs.

10. Potij-
similas
quos fal-
sorum pro-
phetarū
1. Men-
daciū.

dacijs. *Inuenti sunt, inquit Dominus Ierem.*
5. 26. in populo meo impij, insidiantes quasi au-
cupes, laqueos ponentes, & pedicæ ad capien-
dos viros. Sicut decipula plena anibus, sic do-
mus eorum plena dolo: ideo magnificati sunt
& ditati. vers. 30. Stupor & mirabilia facta
sunt in terra: propheta prophetabant menda-
cium, & sacerdotes applaudebant manibus
suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur
fiet in nouissimo eius? cùm meritò la-
mentabuntur & dicent, Thren. 3. 47. For-
mido & laqueus facta est nobis vaticinatio &
contritio. Vide ea quæ de mendacijs eorum
capite 19. diximus.

Secundus laqueus est appetitus diui-
 tiarum inordinatus. Hinc i. Timoth. 6. 8.
Habentes alimenta, & quibus tegamur, his
contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri,
incidunt in tentationem & laqueum diaboli,
& desideria multa inutilia, & nocua, quæ
mergunt homines in interitum. Exemplum
est Iudas qui propter triginta argenteos
ex venditione innocentis sanguinis Chri-
sti acceptos, laqueo vitæ finiit. Mat. c. 27. 4.
 De hoc laqueo falsorum prophetarum di-
 ximus cap. 7. Tertiò appetitus nimius di-
 gnitatum Ecclesiasticarum, cùm scilicet ad
 dignitates anhelant, qui minus digni sunt.

2. *Ap-*
petitus
diuitia-
rum.

3. *Ap-*
petitus
dignita-
tum Ec-
clesiasti-
carum.

Bb 2 Hinc

Hinc D. Paulus⁹. Tim. 3. 5. *Si quis, inquit, domui sua praesse nescit: quomodo Ecclesia Dei curam habebit? Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum, ab ijs qui foris sunt: ut non in opprobrium incidat & laqueum Diaboli.* At inter falsos prophetas etiam nostri temporis, carnifices egisse concionatores inperius diximus. Quartus laqueus hæresis est & error à fide, idq; facile colliges ex 2. Tim. 2. 26. ubi ait D. Paulus, ut huiusmodi *resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Omnis autem falsus propheta, aut hæreticus est pertinax, aut in errore est: de quorum errore diximus superioribus capite 9. Quintus laqueus est communicatio coniugij, nuptiarum & cæterarum rerum cum alienis à fide, utpote cum gentibus, ut docet Iosue cap. 23. 12. *Quod si volueritis, inquit, gentium harum, quae inter vos habitant, erroribus adherere, & cum eis miscere conubia, atque amicitias copulare: iam nunc scitote, quod Dominus Deus vester non eos deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam & laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris.* His gentibus similes pseudo-prophe-

4. Est
hæresis.

5. Com-
municatio cum
alienis à
fide.

prophetæ, dum Ecclesiam audire renuunt,
 vt est Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audie-*
rit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Sex- 6. Oculo-
 tum genus est oculorum laqueus, de quo rum la-
 agit Iudith cap. 9. *Fac Domine, inquit, vt* queus.
proprio gladio eius superbia amputetur: ca-
piatur laqueo oculorum suorum in me, & per-
cuties eum labijs charitatis meæ. Hoc laqueo
 capti excellentissimi etiam viri, in primis
 verò falsi prophetæ, & à religione aposta-
 tæ. Vide sequens genus. Septimò, huic pro-
 ximus est laqueus mulieris, maximè ex- 7. Mulie-
 tranæ, quam incautus filius sequitur, Pro- rum la-
 uerbiorum cap. 7. 22. *quasi bos ductus, ad* queus.
victimam, & quasi agnus lasciuens, & igno-
rans quod ad vincula stultus trahatur: donec
transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festi-
net ad laqueum, & nescit quod de periculo ani-
mæ illius agitur. Hoc expertus Sapiens Salo-
 mon, inquit Eccles. 7. 27. *Inueni amariorẽ*
morte mulierẽ, qua laqueus venatorum est, &
sagena cor eius, vincula sunt manus illius. qui
placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator
est, capietur ab illa. Hinc sequendum consi-
 lium Ecclesiastici 9. 3. *Ne respicias mulie-*
rem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos il-
lius. Hinc meritò dixit Eccles. cap. 25. 23.
Commorari leoni & draconi placebit, quàm

habitare cum muliere nequam. Vide etiam quæ capite 18. de his mulieribus diximus, & quæ capite 17. de falsorum prophetarum libidine docuimus.

8. laqueus lingua
9. Mensa Domini.

Octauum laqueum inuenio linguæ iniquæ, à quo liberatus Ecclesiast. cap. 51. 2. *Confitebor, inquit, nomini tuo, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ & à labijs operantium mendacium.* De eorum linguæ laqueo vide cap. 5. 19. & 20.

Nonò, non minimus est laqueus Domini verbi & sacramenti. *Parauit enim, Psal. 22. 5. in conspectu nostro mensam aduersus omnes qui tribulant nos.* verum hæc mensa, vt ostendimus superiùs capite 21. ex Malachia 1. 7. 12. despecta & contaminata est, & laqueus facta, dum oculis carnalibus discernunt, & non maioris faciunt quàm vmbrailem Iudæorum mensam, vbi figuræ tantùm Christi venturi erant. Hunc laqueum & pœnam notat Dauid psal. 68. 23. *Fiat, inquit, mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant.* Eandem sententiam cõtra Iudæos, quibus Dominus præparauerat mensam in deserto Psal. 77. 19. 20. repetit D. Paul. Rom. 11. 9. lic

sic nec sacerdotium, nec mensam, nec victimam habent pseudoprophetae, secundum id Osee 5. 1. *Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate; quia vobis iudicium est, quonia laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor. Et victimas declinastis in profundum.* Id est, vehementer egistis, ne victimae offerrentur Domino in Ierosolymis: sed potius in Bethel & Dan filiis Ieroboam.

Hos omnes decimò & postremò consequitur laqueus mortis. Psalm. 17. 6. *Qui congregat thesauros suos lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* Sic de Brulæo diximus cap. 15. qui spe thesauri accipiendi simulauit se mortuum à Caluino ad vitam reuocandum: at in laqueis mortis inuentus est. Similia exempla ibidem retulimus, quàm felices sint falsi prophetae in viuis morti destinandis.

Quartò comparantur leonibus, si vitia eorum spectes: de quorum natura lege Aristotelem libro. 2. de animalibus, & Plinium maximè lib. 8. capite 16. Isidorum lib. 12. Persequar breuiter quæ sacrae literæ de his commemorarunt, de his etiam egimus fol. 35. & c. 7. fol. 61. In primis ergo in abscondito insidias leo struit. Hinc psal. 9. 8.

Bb 4 Sedes

10. laquei
mortis.

4. Similes
sunt
leonibus
in 10. re-
bus.

1. In ab-
scondito
struit in-
sidias.

2. audax
est.

3. Os &
anbeli-
tum foeti
dum ha-
bet.

Sedet in insidijs cum diuitibus: in occultis, vbi interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito quasi lea in spelunca sua. Et Psalm. 16. 12. Susceperunt me sicut leo paratus ad pradam, & sicut catulus leonis habitans in abditis. Vide Ecclesiastici 27. 31. Thren. 3. 10. Simili modo falsos prophetas agere, cap. 2. & 6. docuimus. Secundò, animal est audacissimum. Hinc Sap. 11. 18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, qua creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones. Mittuntur siquidem passim in pœnam, vt patet 3. Regum 13. 24. vbi occidit prophetam in Bethel & 3. Reg. 20. 36. Isai. 15. 9. sic falsos prophetas describit D. Petrus 2. Pet. 2. 10. audaces, inquit, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes. Sic & audaciam, & arrogantiam, & elatum animum Lutheri sufficièter ostendimus cap. 7. & 9. Tertiò os habet & anhelitum foetidum per blasphemias. Hinc Apocalypsis cap. 13. 2. Bestia, inquit, quam vidi, similis erat pardò, & pedes eius, sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis. v. 6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in celo habitant.

Cui

Cui enim pepercit Lutherus? nec nomini,
 nec sacramentis Christi, vt cap. 2. & 8. o-
 stendimus, nec templis aut monasterijs:
 nec sanctorum dignitatem veneratus est,
 vt verè de illo & eius similibus dicatur,
 quæ de impijs asserit Sapiens, Sapient. 2. 22.
*Nescierunt sacramenta Dei, neq; mercedem
 sperauerunt iustitie, nec indicauerunt hono-
 rem sanctarum animarum.* Quartò fameli-
 cum est animal, vnde 4. Esd. 16. 6. dici-
 tur, *Nunquid repellet aliquis leonem esurien-
 tem in sylua? & Catuli leonum rugientes vt ra-
 piant & querant escam sibi.* Psalm. 103. 21.
*Hinc iumeta & homines comedit & deuo-
 rat.* *Erunt*, inquit, Micheas. 5. 8. *reliquia
 Jacob in Gentibus in medio multorum populo-
 rum, quasi leo in iumentis syluarum, & quasi
 catulus leonis in gregibus pecorum: qui cum
 transferit, & conculcauerit & ceperit, non est
 qui eruat.* Hinc etiam citò deuorarunt vi-
 ros, qui missi sunt in lacum leonum Dan.
 6. 24. & 14. 41. De eius voracitate scribunt
 historici mirabilia. Vide quæ diximus de
 voracitate falsorum prophetarum cap. 7. & prada
 Quintò huc spectat, quòd rapiat & prædam
 agat. Hinc Nahum c. 2. 12. *Leo cepit sufficien-
 ter catulis suis, & necauit leonis suis: & im-
 pleuit prada speluncas suas & cubile suum ra-
 pina.*

4. Fame-
licus est.

5. Rapi-
& prada
tur.

pina. Sic Ezech. 19. 6. Didicit prædā capere & homines deuorare: Didicit uiduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere; & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius. Imo quasi coniurat in prædam, hinc propheta Ezechiel capite 22. vers. 25. Coniuratio prophetarum in medio eius: sicut leo rugiens rapiensq; prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt, uiduas eius multiplicauerunt in medio illius. Vnde meritò orandum cum Dauide psalm. 7. 2. Saluum me fac ex omnib; persequentibus me, & libera me: Ne quando rapiat. ut leo. animam meā.

6. euer-
tit dome-
sticos.

Sextò euertit etiam domesticos. Hinc monet Ecclesiast. c. 4. 35. Noli esse sicut leo in domo tua euertens domesticos tuos, & opprimēs subiectos tibi.

7. Eicit
& exossat.

Septimò accedit quod non tantum euertant, sed & eijciant & exossent. Isa. 38. 13. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. & Ier. 50. 17. Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum: primus comedit eum rex Assur: iste nouissimus exossauit eum Nabuchodonosor rex Babylonis.

8. Vena-
toris est
animal.

Octauò, venatorium est animal, & maximè venatur pauperes & imbelles. Hinc psal. 9. 9. Oculi eius in pauperem respiciunt.

siunt: insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum. Clarius Eccles. 13. 23. Venatio leonis onager in eremo, sic & pascua diuitum sunt pauperes. Sic pascua falsorum prophetarum, sunt bona Ecclesiæ data olim pauperibus Christi. Prouerborum cap. 28. 15. Leo rugiens, & ~~arsus rugiens.~~ & ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

Nonò, iracundum est animal, vnde cum ira fertur teste Plinio, primò terram cauda verberat, remittente verò se iracundia, proprium tergum cauda percutit & flagellat, quo etiam nomine excutit comam siue iubam. Hinc propheta Ieremias capite 51. ver. 38. *Excusient comas veluti catuli leonum.* Vide quæ de ira & furore falsorum prophetarum cap. 12. diximus. Ex ira & fame oritur rugitus leonis: in altissimis montibus latitat, inde contemplatur prædam suam, quam cum viderit altè rugit: ad cuius vocem terrentur animalia, & subito figunt gradum; circa quæ cauda in orbem lineam ducit, cuius linearem circulum transire quodlibet animal pertimescit; stantq; animalia stupida quasi edictum expectantia regis sui.

Ascen-

9. iracū-
dum est
animal
& rugiens

Ascensum describens Ieremias cap. 49. 19. & 50. 44. *Ecce, inquit, quasi leo ascendet de superbia Iordanis. Visa præda rugit. Nunquid, inquit Amos capite 3. vers. 4. Rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* Terrentur verò animalia ad rugitum illius, secundum illud Amos 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* De cuius rugitu vide plura 4. Esd. 11. 37. & 12. 31. Psal. 21. 14. Prou. 19. 12. & 20. 2. Isa. 5. 29. & 31. 4. Zach. 11. 3. De circuitu verò cū rugitu monens D. Petrus 1. Pet. 5. 8. inquit, *Sobrii estote & vigilate: qui aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, que-*

10. omnia rens quem deuoret. Cui resistite fortes in fide. vastat & in solitu- Decimum est, quòd omnia vastet, & in solitudinem redigat. Hinc Ierem. c. 2. 30. nens redi- Denorauit gladius vester prophetas vestros, git. quasi leo vastator generatio vestra, & cap. 4. 7.

Ascendit leo de cubili suo, & præda Gentium se leuauit: egressus est de loco suo, vt ponat terram tuam in solitudinem: ciuitates tue vastabuntur, remanentes absq; habitatore. Quam non vastitatem intulerunt pseudo-prophetæ templis, sacris ædibus, monasterijs, atq; adeo toti nostræ Germaniæ? vt verum sit illud Isa. 42. 22. Populus direptus,

&

& vastatus : laqueus inuenum omnes, & in
 domibus carcerum absconditi sunt ; facti sunt
 in rapinam, nec est qui eruat : in direptionem,
 nec est qui dicat, Redde, Contritio super con-
 tritionem, inquit, Ieremias cap. 4. 20. vo-
 cata est, & vastata est omnis terra : repente
 vastata sunt tabernacula mea, subito pelles
 mea. & v. 30. Tu autem vastata quid facies ?
 cū vestieris te coccino, cū ornata fueris mo-
 nili aureo, & pinxeris sibi oculos tuos, frustra
 componeris, contempserunt te amatores tui,
 animam tuam quarent. Nunc luporum na-
 turam examinemus.

CAPVT XXIV.

FALSOS PROPHETAS
 esse similes lupis rapax
 cibus.

Non immeritò mandatum pastoribus
 Prouer. 27. 23. vt diligenter agnoscant
 vultum pecoris sui, suosq; greges considerent.
 Necessè est enim, vt pastor gregem suum
 dignoscat, & singulorum vultum intuea-
 tur : ne morbida adsit ovis, multò magis
 cauendum, ne lupo rapax sub pelle ouina
 sese immisceat : maximè verò animaduer-
 tendum,